



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Bernardini Scardaeonii Patauini Presbyteri de Castitate Libri Septem

Scardeone, Bernardino

Venetiis, 1542

Plus momenti esse in educatione liberorum, quam in natura cap. xvi

urn:nbn:de:hbz:466:1-30433

tur. Neq; n. permittē dū est, ut adolescentes diutius scho-
 las adeant, & illarum limina conerant, nisi eorū ingenia
 ad studia litterarum idonea esse uideantur. Et, n. in scho-
 lis ubi litteræ non addiscuntur, uita imbibuntur pro litte-
 ris. Ludus siquidem litterarum uelut aconitum, aut salu-
 tiferus est maxime, aut maxime letalis. Ea nanq; est aco-
 niti natura, ut hominem pro certo occidat, nisi inuenerit
 letale quidpiam aliud i hoīe, qd̄ sua prius ui perimat: nā
 illic ueneni, hic medicinæ uicem gerit. Haud multo sane
 fecius dicitur de ludo litterario, qui quos non erudit, in-
 fatuat, & quorum mores in melius nō format eos ipsos
 in peius corrumpit, deprauatq; quātunuis rectos. Mihi
 credite nihil peius, q̄ assiduos in gymnasiis, aut in scholis
 litterarum uersari, & nihil percipere disciplinæ, uelut as-
 nos ad lyram, ut dicitur. Quare multe latius est, ut si quis
 indocilis ac tardus natura extiterit, eum tempestiue ab
 legare rus, & rei familiari ac rusticæ uitæ tradere: aut aliis
 occupare negociis, anteq̄ turpi sodalitiō corrumpatur:
 aut ignaui desidia cōteratur. Infinita sunt penē studia, ad
 quæ puer ex patriis ædibus, aut ex litterario ludo, cui in-
 eptus est, transferri cōmode possit: in quibus honestius
 uersabitur, aliquid agendo q̄ in scholis nihil addiscendo
 boni. In eo itaq; flexu ætatis applicandus est puer ad ea
 officia siue studia, ad quæ natura propensior quisq; est,
 atq; magis idoneis: modo illa utilia atq; honesta sint,
 fortunæq; & generi, & moribus patrie, atq; eius in-
 genuitati conueniant. In hac enim consultatione nō
 ad arbitrium quidem parentum, sed ad suam ipsius cu-
 iusq; naturam omnis uitæ ratio reuocanda est, ut con-
 stare id sibi perpetuo possit, quod semel de tota uita
 constituenda recte fuerit, laudabiliterq; propositum.

Plus momenti esse in educatione libero-
 rum, q̄ in natura. Cap. XVI.

FF ii

DE PVDICITIA MATRIMONII.

Nihilofere minoris foelicitatis, nec minus effica-
 ratio est ad recte uiuendum, hominem bene in-
 stitui, quam foelliciter nasci, Quo circa tati refert
 re educatione in ea re Plato arbitratus est, ut scribat ho-
 minem bene educatu, ac recte institutum euadere in diu-
 num quoddam animal contra uero male educatum, im-
 probe degenerare in feram, & atrocissimam belluam.
 Quantopere autem cōsentaneum rationi sit, quod asse-
 rimus educationem scilicet plus afferre momenti mori-
 bus hominum, q̄ naturam, Lycurgus ille Sparthanorum
 legum lator, suis ciuibus aperte hoc figmento monstra-
 uit. Nam geminos ex eisdem parentibus genitos catu-
 los suscipiens dissimilibus educari moribus curauit: al-
 terum nanq; patinis, luxuriaq; dissoluerat, alterum uero
 indagine, & assiduis uenationum laboribus exercuerat.
 Ille effectus est heluo præter modum ignauissimus, hic
 uero cōtra uenator sagacissimus, acer, promptus, ac om-
 nium uelocissimus, His rebus sic præparatis acciri iussit.
 Lacedæmonios, qui quū frequēter certo loco conueni-
 sent, Lycurgus surgens ita eloqui cœpit. Ad parandam
 uirtutem uiri Lacedæmonii ingens est momentum disci-
 plina, consuetudo, educatio, uitæq; institutio, q̄ quam
 uerum situobis nunc exploratissimum non tantum uer-
 bis, sed re ipsa, & ex hoc unico exemplo reddam. Ac
 præparatos statim catulos impresentiam adduci iubet
 qui simul admissi fuerant in mediam contionem, quam
 ollam, & leporem ibidem in medio statui mādasset: am-
 bo repente alter in leporem, alter uero in ollam, uno quo-
 dem impetu, sed animo diuerso feruntur. Quum uero
 quid nam sibi uellet, & quāobrem eos sic catulos ostē-
 tasset, Lacedæmonii taciti inter se quærerēt dixit, Ecce in-
 quit, quod uidistis uiri Lacedæmonii ut discatis liberos
 uestros enutrire uel ignauos, uel strenuos, ut malitis: quo-
 niam utrunq; in manu uestra est, & nō in natura cuiusq;
 ut plæriq; sibi falso persuadent. Ambo hi canes, quos

uidistis, eisdem orti sunt parentibus, & ex una, eademq; stirpe generosi: sed tamen, ut uidetis, propter consuetudinem uitæ diuersam dispares mores, dispariaq; studia sunt secuti: ut alter heluo, alter uenator euaserit. Diuersos ergo, & sic inter se disidentes effecit diuersa educatio, non natura, et tales sunt, non quia sic geniti, sed quia sic educati. Hæc ille quidem, et præclare differuit, et prudentissime excogitauit. Videtur hoc confirmare id quod legitur de Milone, qui uitulum, quem assuevit ferre puer, taurum iam factum, quum et ipse adoleuisset, humeris circumtulit: tantum ualet exercitatio a pueritia, uel ad animi, uel ad corporis robur, & ad mutationem uitæ faciendam. Omnes ergo qualescunque sumus, plus sane educationi, et institutioni, quam genituræ debemus: atque tales liberos habet sibi quisq;, quales disciplina educationis effecit. Vnde eleganter Beatus Augustinus, quod liberi nascantur, inquit fecunditatis est: quod uiuant foelicitatis: at quod bene instituuntur, uoluntatis. Hæc ille, quæ maxime uera sunt. Simile profecto uidetur esse in instituendis rebus animis hominum, quod fit in sculpendis formis simulachrorum. Nam sicut in marmor paruum sculpendo simulachro materia optima est, & maxime idonea: tamen signum non erit, nisi formam aliquam ei industria sculptoris affingat. Sic et homo, natura siquidem nascitur capax ad formam optimi uiri suscipiendam, sed hanc non habebit, nisi eam institutio nutritoris, seu parentis induxerit. Verum quia de re uxoria, & de educandis atq; instituendis liberis etiam antehac à multis & copiose & ornate dictum est: nos interea hoc uelut epilogo contenti, his omis in coniugatorum quorundam perfidiam aliquid dicamus, quod est nostre huius præsentis farraginis peculiare, & proprium.

Anceps quæstio utrum in adulterio patrâdo uxor
an maritus magis peccet, Cap. XVII.

FF iii